



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. XI. Spe mercedis Crvx toleranda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT XI.

Spe mercedis CRVÆ toleranda.

Proposito sibi gaudio sustinuit
CRUCEM. *Hebr. 12, 2.*

*Aeternæ tribuit quæ grata stipendia vitæ,
Et labor & studium militet omne CRVCI.*



AC consideratione non segniter Staurophila timoris semitam perambulabat, animo valde compuncta, & creberrimè ingemiscens, quòd suis sceleribus gehennæ igni se fecisset obnoxiam. Hoc tamen nomine non parum sibi gratulabatur, quòd mediocri hac CRUCE grauissimos illos cruciatus liceret redimere. Cùm autem Christi iudicio satis in hac palæstrâ desudasset, volens ad altiora eam euehere Christus, Satis, inquit, superque Staurophila hanc triuisti VIAM, mœroris ac formidinis plenam; amœniora restant itinera, non sine voluptate & gaudio decurrenda. Timore relicto deinceps respicies in remunerationem. *Illuminata enim mens delectationibus meritorum, cuncta libenter patitur: nihilq̃*

Laurent.
Iustin. Lig.
vit. de Pa-
con-tientiâ c. 6.

Proposito sibi gaudio sustinuit CRVCĒ. *Hebr. n.*



*Æternę tribuit quę grata stipendia vitę
Et labor et studium militet omne CRVCI.*

condignum arbitratur, quod patitur, consideratione donorum. Lata efficitur, & exponit se ad omnia, ut quod intuetur possideat. Nutriunt enim premiorum exempla patientiam: nec quisquam est qui possit ad culmen perfectionis ascendere, quando irremuneratum cernitur, quod conscientia teste laudatur. Proinde ut meos ad tolerandas accenderem passiones, ante ipsorum oculos volui transfigurari, ut ex recordatione gloria libenter CRUX portaretur. Et sicut in passione dignatus sum ab omnibus intueri; ita & in corporis mei glorificatione & ascensione passus sum ab hominibus palpari, & videri, ut alacres ad patientiam fierent, cum non dubitarent de promissione. Tanto namque letior fit miles in periculo, quanto certius intuetur, quid pro mercede promittatur. Omne enim opus leue fieri solet, cum eius premium cogitatur; & spes premij, solatium fit laboris; atque tantum proficit animus in virtute patientie, quantum certior efficitur de coronâ victoria.

Hilarescebat animo hæc audiens Staurophila, & *Lætata sum, inquiebat, in his quæ dicta sunt mihi; fiat mihi secundum verbum tuum.* PL. I. 21, 1.
 Lætifica animam ancillæ tuæ, & dirige pedes meos in VIAM pacis. Lætare filia, inquiebat Christus, & exulta in spe gloriæ Dei: *Non enim sunt condignæ passiones huius temporis* Rom. 8, 18.
 ad

ad futuram gloriam qua reuelabitur in vobis. Si tantum pro denario diurno viliq; stipendio laboretur, quantum ab opificibus, agricolis, alijsq; passim fieri tu ipsa cernis, quid non deceat pro præmio vitæ æternæ? Si tanti vi-

Tertull. in
lib. ad Mar-
tyres c. 4.

treum, quanti verum margaritum quis non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso? Et crede, Staurophi-

Hieron.
Epist. 2. ad
Nepot.
Chrysoft.
Hom. 24.
in Matth.

la, minori labore margaritum regni celestis emi potest, quàm à mortalibus plerisque hereditas caesa expetitur. Si nautis minaces illi pelagi fluctus, si tempestates atque hiemes agricolis, si vulnera cadescq; militibus, si grauissimi illi ictus plagæq; pugilibus leues videntur atque tolerabiles propter spem temporalium ac pereuntium commodorum; multo magis cum calum proponatur in præmio, & ineffabilia illa bona atque perpetua, nihil ex præsentibus his aduersitatibus sentietur.

Hebr. 11,
24.

Dulcis sanè & efficax hic stimulus, aiebat Staurophila, ad CRVCEM alacriter portandam. Hac proinde consideratione, inquit Christus, Sancti quique ad CRVCEM & tribulationes sese armauerunt. Hac Moyses grandior factus negavit se esse filium filie Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias estimans thesauro Aegyptiorum, improprium Christi. Cur autem?

tem? nisi quia aspiciebat in remuneratio-
nem. Cur, queso, S. Stephano lapides torren-
tis adeò dulces fuerunt, *ut eorum ictus veluti*
suauem quemdam rorem exciperet? nimirum
quia intendens in cælum vidit gloriam Dei;
nam qui futuræ vitæ præmia diligenter exco-
gitat, præsentis vitæ mala æquanimiter por-
tat. Quid fecit Hebræos opprobriis & tri-
bulationibus spectaculum factos, rapinam bono-
rum suorum cum gaudio suscipere, nisi quòd
cognoscerent meliorem & manentem se habere
substantiam? Sed & ego, filia, *proposito mihi*
gaudio sustinui CRUCEM confusione contem-
pã. Et quis non contemnat dulcedinem sæculi,
inhians dulcedini vitæ æternæ?

Nyssen. l.
de Beatit.

Isidor.

Heb. 10, 33

Hebr. 12, 2

August. in
Psal. 68.

Acuebant hæc desiderium & spem Stau-
rophilæ, iamque magnâ auiditate ad illa cæ-
lestis patriæ suspirabat tabernacula: &, *Desi-*
dero (inquit) mi Domine IESV, *Ierusalem*
cælestem. quantò autem impatientius desidero
ipsam, tantò patientius sustinebo omnia propter
ipsam. Linteum enim istud amplissimæ re-
munerationis omnem sudorem laboris, om-
nes lacrymas doloris mihi abstergit. O re-
tributio æterna, magnes animæ meæ, quàm
validè trahis me post te! inardescit animus
frui te, iamq; illic cupit assistere, ubi sperat sine
sine gaudere.

August.
Epist. 32.
ad Paulin.

Gregor.
Hom. 37.
in Euang.

Euge, euge Staurophila, inquiebat Chri-
stus:

stus:

Bernard. *Itus: prelibemus primitias gloria, gloriemur*
 Serm. 17. *in spe gloriae magni Dei: non solum autem, sed*
 in Psal. *Qui habit. (ut dicam expressius) gloriemur in tribulatio-*
ne, in eâ siquidem spes gloria est. Coniuncta
enim sunt CRUX & regnum: nec hoc ob-
tinebit, qui illam non tulerit. Agnouit hoc
 Apoc. 1, 9. *Ego Ioannes frater vester, & particeps in tri-*
bulatione, & regno & patientiâ in Christo
IESV. Quid enim hoc est? nisi quod qui re-
gni consortium desiderat, necessariò debeat
esse particeps tribulationis & patientiæ, qua-
si vnum ab altero separari non possit. Et
 Luc. 24, 26 *nónne oportebat me pati, & ita intrare in glo-*
 Chrysost. *riam meam? Quid iam dicis, ô Staurophila?*
 Hom. 2. in *ad regnum vocata es, & ad regnum filij Dei;*
 cap. 1. ad *quod si singulis diebus vel in mille mortes in-*
 Coloff. *filium fuisse, an non omnia ferre oportebat?*
At qui principatus gratiâ nihil non faceres,
cum verò consors futura sis regni vni-
geniti Dei, non obijcisti te vel mille gladijs? non
 Thom. à *insilies in ignem? & istud quidem nondum*
 Kemp. 1. 3. *graue quidquam fuerit. Si ergo vis beatam vi-*
 cap. 56. *tam possidere, præsentem vitam contemne. Si*
vis exaltari in calo, humiliare te in mundo. Si
vis regnare mecum, portâ CRUCEM mecum.
Soli enim serui CRVCIS inveniunt VIAM
BEATITVDINIS & vera lucis.

Subiunxit Staurophila: *Amოდò dulcis mihi*

mihi erit CRVX, suaui labor, grata tribula-
 tio: his enim nummis, exiguis licet, regnum
 cælorum venale est. *Et quantulum pretium* August. in
Psal. 93.
damus? quodammodo vnã siliquam ad acci-
piendos thesauros sempiternos: siliquam labo-
ris, ad requiem incredibilem. Sed, ô Deus
meus! quando veniet gaudium meum, quod August. in
Meditat.
cap. 41.
desidero! quando potabis me torrente volu-
ptatis tuæ quam sitio? Sint interim mihi la-
crymæ meæ panes die ac nocte, donec dicatur mi-
hi: Ecce Deus tuus. donec audiat anima mea:
Ecce sponsus tuus. Pasce interim me singulti-
bus meis, refocilla me doloribus meis. Renuit August. in
Soliloq.
cap. 22.
Psal. 73, 6.
enim consolari anima mea in hac vitâ, vt di-
gna habeatur, Domine, consolationibus æternis:
quia iustum est, vt amittat te, quicumque in
aliquo alio magis consolari eligit, quàm in te.
Et obsecro te, summa veritas, per te, vt tu so-
lus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo
inestimabilis, per quam cuncta amara dulcoran-
tur. O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Psal. 30, 20
Domine, quam abscondisti timentibus te! hæc
est enim illa beatitudo quam exspectamus, pro
quâ tibi, Domine, continuè militamus: pro
quâ tibi mortificamur totâ die, vt in tuâ vitâ
tibi viuamus.

Dilectus meus mihi, et ego illi. Cant. 2, 16.



Non pœnas fugio, nec pro CRVCE premia p̄sco;
Sat mihi, dilecto posse placere meo.